

nem, & decorum in Ecclesia probabiliter putatur, id omne (præsup-  
 positis præsupponendis,) pro lubitu, vel jubere potest, vel vetare Ma-  
 jestas humana; v. g. furtum jure divino prohibitum est, atque ita eo-  
 dem jure punibile, sed quæ ejus pœna esse debeat, id nulla divina lege  
 perpetua, & quæ ad nos pertineat, est constitutum; potest ergo recte à  
 Principe ad suspendium usque, si furta nimium crescentia ita optime à  
 Republica tolli posse videantur, exasperari: pariter cum inquisitio in  
 genere in facinorosos lege divina mandata sit, nec tamen limitatus in-  
 quirendi modus præfinitus, nihil vetare potuit, certa & circumspecta ra-  
 tione quæstiones hic adhiberi; & hæcenus quidem verum omnino est,  
 quod vulgo dicitur: Legem etiam civilem & obligare, & liberare in  
 Conscientia. Quæ in contrarium afferuntur, tanti utique non  
 sunt, ut vel Legislatoris hic auctoritatem infringere, vel Jctum,  
 an contra legem divinam peccet, dubium movere possit. Ad pri-  
 mam rationem nolim equeidem ego, quod communiter solet, re-  
 ponere, instar aliquod torturæ lege Divina proditum esse *Numer. 5, 13.*  
 in potione amara adulterii exploratoria, item in sortibus circa male-  
 ficia occulta, quorum autores ignorabantur, adhiberi solitis, *quo de Jos.*  
*c. 7. v. 14. & seqq. 1. Sam. c. 14. v. 3. Jon. c. 1. v. 6.* Si quidem potio illa  
 vix ullam cum tortura civili convenientiam habebat, cum non per  
 modum quæstionis, sed pœnæ, quæ statim mulier rea moriebatur, ad-  
 hiberetur, & quemadmodum Deus propter *σκληροκαρδίαν* Judæis li-  
 bellum repudii concesserat, ita & Zelotypia laborantibus subvenire  
 voluit, non ex Tribunali, sed extraordinario miraculo. Quod ad for-  
 tes, quæ memoravi, attinet, res ipsa loquitur modum quidem in iis in-  
 dagandæ veritatis fuisse, haut quaquam vero speciem torturæ. Ast ob  
 id tamen non sequitur, torturæ usum omnino damnandum, licet enim  
 divina lege introductus non fuerit, satis tamen est, à Deo illum non  
 prohibitum. Utiqve hodieqve utimur non uno suppliciorum genere,  
 quorum in sacris literis mentio nulla facta, sed ideo non magis injusti  
 sumus quam si modum in administranda Politia & Republica diversum  
 ab eo adhibemus, qui Israelitis erat præfinitus. Originem tormento-  
 rum absolute Tyrannis imputare, omnino erroneum est, cum certum  
 sit, potius ex instituto Reipublicæ Atheniensis provenisse, sed & nec ob  
 id solum reprobari poterant, si vel Tyrannum auctorem habeant, cum  
 possibile sit, & eum aliquando, quod cum lege divina & recta ratione  
 non pugnet, jubere posse. Non esse proportionem inter ipsam quæ-  
 stio-